



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 3. An Sacramento invalido ex defectu intentionis Ministri, fratia
nihilominus sanctificans à Deo conferatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

comminatam, haud difficile percipitur. Et ita concedunt Ludovicus de S. Juan 1. p. Sum. tract. de Eucharist. q. 7. art. 8. folio 167. Diana 3. p. tract. 6. Miscell. resol. 83. & Joannes Sanchez ubi supra disput. 35. num. 7. * Tunc enim, inquit, iusta ad est causa utendi æquocatione: sicut ille, cui minata fuit mors à latrone, nisi juret, se daturum centum aureos, poterit verba juratoria exterius proferre absque intentione. *

17. Quoad Sacramentum matrimonii ferè omnes conveniunt, hanc doctrinam esse admittendam, etsi in aliis Sacramentis non admitteretur. Quod tradit cum Navarro, & aliis Thom. Sanchez lib. 1. de Matrim. disputat. 11. ubi gratià vitandi magni scandalis existimat, posse proferri verba, æquocatione mente retenta, absque intentione contrahendi. * Æquocatione, inquit, uti, ubi iusta causa subest, communis sententia habet: ut si intelligat: Accipio te in meam, si ad id teneor; sicuti in simili asserunt Sylvester, Angelus, Navarrus, Ludovicus Lopez, &c. Quod si opponas irritum reddi Sacramentum. Dico cum Henr. quez, diversum esse in hoc Sacramento, & in aliis sentiendum: cum enim ultra Sacramenti rationem, contractus naturam induat, potest ea ratione, qua contractus est, absque Sacramenti injuria, irritum reddi, quando causa iusta ad id cogit. * Quod iterum cum Petro de Ledesma tradit lib. 4. disp. 16. num. 1.

18. Verum licet conclusioni consentiam, rationem non probò: quia existimo, eandem, quæ in aliis Sacramentis, in matrimonio militare; & idè ad objectionem, quam sibi opponit Sanchez, omnino negandum esse, irritum reddi Sacramentum, quia ad hoc necessarium erat; quod adhiberetur forma Sacramenti, & tamen non resultaret ex alio defectu; quod in presenti non contingit: quia verba absque intentione contrahendi non habent rationem formæ, ut cum Basilio de Leon, Valentia, & Palao docet Verricelli ubi supra tom. 1. tract. 1. quest. 10. & 11.

19. Adde rectè stare posse intentionem efficiendi contractum matrimonialem, absque intentione efficiendi Sacramentum, ut contingit, quoties inter absentes contrahitur, juxta opinionem Cajetani, Victoris, & Cahi, quos citatos sequitur Franciscus Sylvius in 3. p. quest. 42. art. 1. questio 3. concl. 2. aut saltem quando contrahentes non intendunt facere Sacramentum, ut docet Villalobos in Sum. tom. 1. tract. 13. diff. 6. num. 4. Basilius de Leon tom. de Matrim. lib. 1. cap. 9. num. 3. Valquez tom. 2. in 3. p. disput. 138. cap. 5. Hurad. Rebellus, & alii, quos sequitur Diana 3. p. tract. 4. de Sacram. resol. 255. Ergo si quis ex iusta causa (verbi gratia, quia urget contrahere per procuratorem, & quia excommunicatus est, nequit licet Sacramentum matrimonii recipere) haberet intentionem efficiendi contractum, non verò Sacramentum, non fieret Sacramentum, non tamen derederetur matrimonium irritum, quatenus contractus est: sed nulla fieret injuria Sacramento. Ergo ratio adæquata, cui innititur, posse dari simulationem in Sacramento matrimonii non est, quia, ut contractus, possit irritum reddi, ut volebat Sanchez. Nam optimè stat, quod maneat validum, ut contractus, & tamen quod ex iusta causa non adhibeant contrahentes formam Sacramenti, nempe verba ex intentione faciendi, quod facit Ecclesia; qua deficiente, eum defuit forma, non redditur irritum Sacramentum. Sicut Poenitentia Sacramentum non dicitur irritum reddi à Sacerdote, qui postquam peccatoris rectè dispositi confessionem excepit, eum tamen ex iusta causa

(nempe, quia jurisdictionem non habet, nec potest ab absolute dimittere; quia licet fuerit materia, defecit forma, quia non adhibuit se celebratum, in quo, quando iusta ad est causa simulandi, utendo æquocatione, nulla inter irreverentia.

20. Ex quibus concludo, in omnibus Sacramentis licitum esse ex iusta causa simulationem, uti, probando verba formæ absque intentione recipi, & hanc conclusionem longè veriorē esse, quā illam de communione in hostia non consecrata, tunc occulto conferenda, & omnino ab illa independentem, ut constat ex supra dictis, quia ex illa ad istam optimè valet consequentia, ut rectè à difficiliore, ut bene expendit Elcobar in præ.

QVÆSTIO III.

An Sacramento invalido, ex defectu intentionis Ministri, gratia ministerii sanctificans à Deo conferatur?

1. Intentionem Ministri necessariam esse adhiberi Sacramento, definit Tridentinum sess. 21. can. 11. ubi eius qualitas rem simul exponit. Si dixerit in Ministro, dum Sacramenta conficit, conferunt, non requiritur intentionem saltem faciem, quæ facit Ecclesiam, anathema sit. Hoc posito, diffinitum est, an deficiente valore Sacramenti Baptismi, defectu ejusmodi intentionis Ministri, certum, juxta præsentem providentiam, infantem aliquem baptismo decedentem ad salutem æternam non perventurum?

2. Prima sententia est, in tali eventu, Developplere defectum baptismi, quoad eius effectum, conferendo scilicet gratiam sanctificantem, & remissionem peccati originalis: ac proinde periculum certum baptismi discedentem gloriam obtenturum. Ita Div. Thom. in 4. sent. dist. 5. q. 1. art. 2. questio 1. ad 2. Ubi ait: * Si defuit mentalis intentio in baptizando puerum, præ creditur, quod Summus Sacerdos, scilicet Deus, defectum suppleat, & salutem ei conferat. Quod iterum tradit 3. p. quest. 64. art. 8. ad 2. ubi: Quidam dicunt, quod requiritur mentalis intentio in Ministro, quæ si defuit, non perficitur Sacramentum, sed hunc defectum in partem implet Christus: in adultis autem, qui intendunt Sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides, & devotio. In hoc satis posset dici, quo ad ultimum effectum, quia perficitur à peccatis. Sed quantum ad characterem, non datur per devotionem accedentis posse suppleri. Hæc Div. Thomas, quæ ex illo fideliter excerpta referuntur à d. Guimetus in opusculo pro Jesuitis contra Baptismo, prop. 2. num. 10. Quam sententiam, cum cæcis D. Thomæ sequuntur Sylvester, Summus Confessorum, Chrysostomus, Jabellus, Bartholomæus ab Angelis, Zanardus, Vignierus, & alii, omnes referens testatur ex eodem instructo R. M. Joannes Mattioz de Prado, olim Primarius Complicitatis in 3. p. q. 64. dub. 7. §. 6. n. 76.

3. Eidem pietatis fundamento insistenti M. Sylvester, verb. Baptismus 1. quest. 5. idem consequenter asserit; licet defectus valoris baptismi à ministerio proveniat. * Si subtrahatur, inquit, aliquid de forma

forma baptismi; creditur quod suppleat Summus Sacerdos: ut si moriatur puer ante formæ perfectionem. Idemque tradit infra q. 7. si defectus valoris proveniat ex corruptione verborum, ibi: Sicut dictum est, §. 5. de subtractione, ita & de corruptione dicendum; scilicet, quod si non sit facta ex malitia, etiamsi sensum tollat, si moriatur puer, Deus supplet; si autem vixerit, baptizabitur sub conditione. Sic ubi supra, & verb. Baptismus 4. quæst. 10. num. 9. Quem sequitur M. Joannes Baptista Corradus 2. par. q. 84. et si uterque hanc partem sustineat contra D. Thomam, ut fatetur ipsemet Sylvest. illo citato.

4. Idem prorsus docent alii, quando parvuli abique Sacramento Baptismi decedunt, eo quod eis applicari non potuit. Ita Cajetanus, ut refert M. Sotus in 4. distinct. 5. quæst. unica, art. 2. §. Gravius autem. Ubi sic: Ad hæc accedit modo opinio Cajetani, quod parvulos sine Sacramento, dum applicari non potest, pene ab originali liberabit. Idemque dicitur est infra artic. 11. de illis, qui in utero moriuntur. Ab hac sententia non longè distat M. Dominicus Baltanas in Margarita Confessorum, fol. mibi 199. in editione Complutensi anno 1554. ibi: * Queritur utrum sine baptismismo, puer possit salvari? Dicendum, quod secundum legem communem damnabitur; secundum D. Thomam præ tamen creditur, quod si Mater prægnans faciat aliquid speciale obsequium Deo pro salvatione pueri, si contingat abortus, vel infans ex defectu aquæ, sine baptismismo moriatur, quod non damnabitur, sed ex Dei misericordia valebit ad remissionem originalis, &c. Imò aliqui tenent, quod si quis Christianus faciat aliquid pro salute puerorum infidelium, quod salvantur, quia talis tenet locum Ecclesiæ, & parentum. Non tamen hoc est certum. * Cui consonat ex eodem instituto M. Campanella, qui refert Vincentius Baronius 2. par. Manuductionis contra Amadæum Guimenium disp. 1. sect. 2. §. 3. fol. 139. & iterum disp. 2. sect. 2. fol. 216. affirmat: * Parvulos, dum deest aqua ad baptismum salvos fieri posse Sacramento legis naturæ, id est benedictione paternâ, aut aliâ simili cæremoniâ, quæ magis sit in promptu, quàm aqua. * Sic discurrunt Doctores citati.

5. Cæterum de fide est, baptismum esse necessarium ad salutem, quod definitum habemus in Tridentino Sess. 7. can. 5. his verbis: Si quis dixerit baptismum non esse necessarium ad salutem, anathema sit. Necessarius autem non esset, si eo, in re, & in voto deficiente (ut parvulis sine illo decedentibus contingeret) salvi possent fieri. Ideoque nullum salvari posse sine baptismismo, definit Sess. 6. c. 4. ubi de justificatione est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ. * Quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. * Hæc est Catholicorum sententia, quam tradit cum Augustino (tom. 3. lib. 7. de origine animæ, cap. 9.) D. Thom. quodlib. 6. q. 3. art. 4. Ubi sic: * Manifestum est, quod in pueris nondum habentibus usum rationis non potest esse motus fidei, & dilectionis, & ideo non possunt salvari, nisi per baptismum aquæ, vel per baptismum sanguinis, si propter Christum occidantur, ut Augustinus dicit de innocentibus. * Sic Angelicus Præceptor. Ubi ut adnotat R. P. Antonius de la Parra & Arteaga, ex Religiosissimo Clericorum Minorum instituto, vir doctissimus, & in D. Thomæ operibus versatissimus,

Paris II.

tom. de Sacramentis tr. 2. de Baptismo, disp. 2. q. 2. art. 2. fol. 126. * D. Thom. sibi opponit, & respondet ad argumenta Cajetani, ut pateat, quam oppositus sit in hac parte, Magistro commentator. * De sententia autem, quam cum D. Thoma ipse amplectitur, fol. 125. inquit. * Hæc resolutio ita certa visa est auctoribus communiter contra Cajetanum, ut plures damnificent Cajetani sententiam, jam ut hæreticam, jam ut erroneam, jam ut temerariam, ut videri possunt apud Aversam, q. 66. par. 2. concl. 2. * Sic ille, & merito. M. enim Sotus, ubi supra eam explodit, dicens: * Fateor me non intelligere, quomodo valeat citra errorem defendi, & apertius, §. At verò, pluribus Divi Augustini testimoniis illam confutat. M. Cabrera de Sacram. quæst. 64. art. 8. disp. 1. §. 6. n. 65. & 66. inquit, esse temerariam, & erroneam. Denique quod secundum præsentem providentiam Deus suppleat defectum Sacramenti Baptismi in pueris conferendo gratiam, ita incertum ait Sotus in 4. disp. 1. q. 5. art. 8. ut sit temerarium credere: * Quod, inquit, ubicumque locus occurreret, admonere non cessabo. * Et promissus sitit disp. 3. q. unica, art. 6. concl. 1. ubi locus occurrit, dicens esse temerarium asserere. Qualitatem censure judicio Ecclesiæ relinquo. Quia propositioni universaliter definitæ, circa necessitatem baptismi ad salutem, & adstuenti impii justificationem, post promulgatum Evangelium, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non posse, immediatè opponitur, quæ asserit pueros sine baptismismo decedentes salvos fieri; negat enim baptismi necessitatem ad salutem. Quapropter ab hæreseos nota eximere non audei M. Joannes de la Cruz in direct. 1. par. q. 3. de Baptismo, dub. 7. ibi: * An pueri sint baptizandi ut salventur? * Conclusio affirmativa definita est in Tridentino: & proximiùs quæst. 3. dub. 1. * An possit quis salvari sine baptismismo? Conclusio negativa definita est in Tridentino Sess. 7. can. 5. * Vide Sotum sup. disp. 1. q. 5. art. 8. §. Gravius tamen; & disp. 24. quæst. 1. art. 4. vers. Ad 1. igitur.

§ I.

Animadversio in Baronium.

6. AD hæc iterum circumspectanda, & crambem recoctam apponendam invitum me trahit Vincentii Baronii vitiligatio, in opere contra Amadæum, disp. 2. sect. 2. §. 2. fol. 212. & 217. Ubi enormiter truncatum blaterat D. Thomæ locum de intentione Ministri, ex 4. sent. dist. 6. quæst. 1. art. 2. Cujus verba cum Amadæo fideliter excerpta adduxi, ubi supra. In quem tamen ipse immisericorditer sic invehitur. * Divo Thomæ insinuat insidias ex 4. sent. dist. 5. (textam leg.) art. 2. ubi referens aliorum opiniones sic præfatur. Quidam dicunt: si desit mentalis intentio baptizandi puerum, pie creditur quod Summus Sacerdos, scilicet, Deus defectum suppleat, & salutem ei conferat. At Amadæus puniendæ fraude, erasis primis verbis: Quidam dicunt, reliqua refert quasi dicta à D. Thoma ex propria mente, si desit intentio baptizantis suppleri à Deo. Nec contentus impegisse in hunc errorem, adjungit alterum ad finem secundæ propositionis de baptismismo Martyrii. * Sic Baronius, fol. 212. Quibus non contentus, de Amadæo apertæ calumniæ convicto, plausum quærens, concludit fol. 217. * Adversarii calumniâ deteximus reverà severissimè castigandam; nisi atrox scelus majus supplicium esse qua-

Nn

libet

libet poena à nobis deprecanda. Imò Deum pre-
camur, utquis commeruit, condonet.* Hactenus Ba-
ronius in Amadæum.

7. Sed quem autem petis mi homo? Tuæ eloquentiæ Bullæ facile d'ssintur, & quod doleo: cecidit obliqui & in fundibularii caput emissus lapis. Igitur ut loco beneficii, quam enormem loci D. Thomæ truncationem incautè declamasti, gratus reponas, ejus contextum, argumentum, & solutionem ob oculos ponam, ut quæ in ipso Angelico præceptore legere non vacabit, modo coactus perlegas. Argumentum quod loco citato ex 4. *sent.* sibi objicit D. Thomas, contra necessitatem intentionis Ministri, est hujusmodi. * Intentio hominis non est alicui certa, nisi sibi, si ergo requiritur intentio ad baptismum, non erit certum de aliquo, quod sit baptizatus, nisi apud eum, qui baptizat. * Huic igitur argumento (quod iterum proponit 3. *part. q. 64. art. 8.*) Duplicem solutionem adhibet D. Thomas ubi suprà: Aliam Deum supplere defectum baptismi, quoad ejus effectum, conferendo scilicet gratiam sanctificantem, & remissionem peccati, non verò confici Sacramentum. Aliam utrumque abque Ministri intentione coalescere, & Sacramentum validum, & formatum. En Angelici Præceptoris verba, ex 4. *sent. dist. 6. art. 2.* * Ad secundum dicendum, quod ad hoc, secundum diversas opiniones, respondetur. Quidam dicunt, quod si defuit mentalis intentio in baptizante, non confert Sacramentum baptismi, tamen in adulto supplet fides, & devotio defectum baptismi, ut periculum ex hoc, baptizato qui ignorat intentionem baptizantis, non proveniat. Si autem puer; piè creditur, quod Summus Sacerdos, scilicet Deus defectum suppleat, & salutem ei conferat, &c. Alii dicunt, quod in baptismi, & aliis Sacramentis, quæ habent in forma actum externum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta: & ideo si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est. * Hæc D. Thomas in 4. *sent. dist. 5. art. 2. q. 1. quest. 2. ad 2.*

8. Eja Baroni, liberum harum solutionum delectum tibi facio, quam malueris elige ex propria mente à D. Thoma exhibitam. Primam à consilio ei attribuit Amadeus, & nos cum illo suprà (& si primo loco positam) utpote distantiorem ab haeresi in Concilio Trid. *sess. 7. can. 11.* damnata. Manifestum enim est minus repugnare ejus definitioni requirenti ad valorem Sacramenti *intentionem saltem faciendam, quod facit Ecclesia*, opinionem, quæ adest, deficiente intentione Ministri, baptismum non confici, sed quoad effectum gratæ & sanctificantis, Deum illum supplere; quam quæ & baptismum etiam perficere defendit. Illud prima solutio adstruit, hoc fecunda; quàm tideo censuris suprà datis, Doctores incurrunt; & quam non esse juxta D. Thomæ opinionem, jure conantur adstruere M. Sotus in *4. dist. 1. quest. 5. art. 8.* & Cajetanus *3. par. quest. 64. art. 8.* est enim in Concilio expressè damnata, ut ait P. Vazq. in *3. par. tom. 2. disp. 138. cap. 3.* & ante illum M. Victoria in Summa *ubi de Baptismo, fol. 27. num. 34. ibi:** Secundum fidem ita tenendum; & opposita assertio est hæresis, ut definitur in Concilio Tridentino *sess. 7. can. 5.* & idem fuit definitum in Florentino sub Eugenio Quarto. Secunda ergo ex solutionibus, quæ ex aliorum mente, ad argumentum secundum solvendum usus est D. Thomas, vel ut potius dicam, quam ibi refert, tamquam ab ejus opinione a-

liensissima explodenda est. Es prima tantum
proprio Marte adhibita est attribubenda. Hæc
fuit Amadeus, & nos cum illo fuisse. Non
figenda fraude, ex loco citato eratius verbo
dicunt, sed quia ad solutionem ex proprio
D. Thomæ exscribendam, non conducebat
mò confundebant, & non primam, sed secundam
illum amplexari innotebat. Quæ si Barzani
tisset, vel si D. Thomæ locum consulsset, et
serè delapsus non esset, ut nulli verorum scripto-
rum fraudi parcens, solutionem à D. Thomæ
bitam errorem incautè appellaret, dicens: *pro-*
tentus impigisse in hunc errorem. &c.

9. Adde; non solum non vacille Baronius Thomæ locum ex 4. sent. consulere; sed, quod omnem admirationem superat, nec Amadeum, quem enormiter truncale locum D. Thomæ caulatur, hostem fingens quem impugnet. D. Thomæ immediate proximè, nulla facia interpretationis, post verba quæ Baronius ab Amadeo truncale jactat (nempe quod omiserit illa, *quidam autem*) junxit Amadeus locum alium D. Thomæ ex 3. p. verbis. Quod iterum tradit; p. q. 6. ar. 1. ubi loquitur: * Quidam dicunt, quod requiritur materia intentio in Ministro, quæ si dedit, non perit in sacramentum, sed hunc defectum in pueris legit Christus, &c. Sed hoc satis posset dici, quoniam ad ultimum effectum, qui est iustificatio à peccatis, talis quantum ad characterem, non, videtur polleat. * Hæc ex D. Thomæ fideliter accepit, in octavo paragrapho, post locum ex 4. sent. adduxit Amadeus. Quorum meminisse nolit Baronius, sed legitio, nec calumnia, quam Amadeus inuenit, degegerit: cum ex præfato loco & p. 1. notefcat verba illa, *quidam dicunt, ex illa epistola, ne leviter quidem, innuere D. Thomæ eorum solutioni non consentire: refert enim, quodam dicere, deficiente intentione Ministri, Deum deprece defectum Sacramenti quoad ultimum effectum, qui est iustificatio à peccatis, in plegium calumnie adiungit. Itane verò? Nil ergo peccavit Amadeus, cum solutionem ex proprio D. Thomæ leni adnotatum retulit omittis ly *quidam dicunt* (ex 4. sent.) Quinimò & laudi viri deberet silentium, quod vi Thomæ sententiam expressit, & ab aliis impositam purgavit. Undè graviter Baronius peccavit, dum ex hoc capite calumniam illi inflavit, deperam facile convinci posset. Ubi ergo Baronius puniendi illa fraus? Ubi enormis trunclatio? Ubi adversarii calumnia severissime castiganda? Ubi scelus? Inceptas quæso preces absque interruptione prosequere, nos enim recum Deum precamur, & quas impositor commuerit panas condonari. Tum non sum ago. Verum si probis, & conumeliosis sensum demulcere, & lenire conaris? & comode & uno semel statu expectora recodemus? rugin in Amadeum Guimenium. Misericordia Domini ipse dabit, non ira.*

reum condemnes; & erroris inauditi, ignoto patre, ejus sententia inuras, fite paulipet, Brita quæ scribis animum adverte, ne dum eligas tua vota expromis, res pro votisnon succedas, ne deterius quid tibi contingat, monitum te nolum D. Thomam non solum ad baptismum, sed etiam Sacramenta ex defectu Ministris in supplementum à Deo Summo Sacerdote, ceteris precariatinnixum, quoad effectum gratiæ laudificatijs petivisse. Sic in eodem libro 4. *sent. dist. 24. q. 1.*

art. 2. quæst. 3. ad 2. ibi: * Ad secundum dicendum, quod talis, (nempe qui baptizatus non est) si ad Sacerdotium promoveatur, non est Sacerdos; nec consecrari potest, nec absolvi in foro penitentiarum: unde secundum Canones debet baptizari iterum, & ordinari: est etiam in Episcopum promovetur, illi quos ordinat, non habent ordinem. Sed tamen (attende) pie credi potest, quod quantum ad ultimos effectus Sacramentorum, Summus Sacerdos suppleret defectum. * En Baroni, quem aggredieris Pygmæus Herculem, Tersites Achillem, Cur ergo Amadæo, vel ex eo quod referat, succentes? Quo æstro percitus in eum furis?

§. II.

Altera Baronii calumnia detegitur.

EX superius dictis satis constat primam solutionem, quam ex duobus D. Thomæ locis fideliter excerptam, & ex propria ejus mente adhibitam argumento, contra necessitatem intentionis Ministri, sibi objecto, selegimus, non admittere Sacramentum Baptismi confici deficienti intentione Ministri; hoc enim dicere nefas est, sed Deum ejus defectum supplere quoad ultimum effectum, qui est justificatio à peccatis. Nihilominus Vincentius Baronius Amadæum hostem appetens, ei imponere non dubitavit solutionem nefandam, tanquam ex propria mente adhibita D. Thomæ adscriptis: nempe deficienti intentione Ministri, validum etiam confici Sacramentum: Si Amadæo, inquit fides ulla sit: ipse D. Thomas non omnino certus figit pedem, sed in hoc lubrico titubat, & cadit: cum supplementum aliquod intentionis ad validum baptismum necessaria, repetit à Deo Summo Sacerdote. Hæc Baronius, nullo tamen Amadæi testimonio obliquata: quod ex solo figuli cerebello ortum habere poterat. Quia Amadæus ex 4. sententiam solutionem, etsi secundo loco positam, consulto refert omisit, censens & merito omnino alienam ex mente D. Thomæ. Et ex 3. p. q. 64. art. 8. ad 2. sententiam oppositam ipsius verbis ex scriptis refert, quibus Angelicus Doctor concedit defectum intentionis Ministri suppleri à Deo Summo Sacerdote, quantum ad ultimum effectum Sacramenti, non vero quoad ejus valorem. * Hoc, inquit, satis posset dici quantum ad ultimum effectum, qui est justificatio à peccatis, sed quantum ad characterem non videtur per devotionem accedentis posse suppleri. * Hæc ex D. Thomæ refert Amadæus. Ex quibus agnosces, quam citò Baronius suæ maleficientiæ, meritis dedit pœnas. Indulgentiæ tamen, non vindictæ, idèò subijciendus; viro enim occupatissimo, tam D. Thomæ quam Amadæum, à limine tantum salutare licuit.

12. Hinc ortum habuit altera calumnia, quam ibidem Baronius affixit, dicens * Nec contentus (Amadæus D. Thomam) impigisse in hunc errorem, adjungit alterum ad finem secundæ propositionis de baptismo Martyrii. * Cum tamen ad finem hujus propositionis, nullum D. Thomæ locum Amadæus citaverit; nec pro opinione de baptismo Martyrii (quod ad infantes etiam in utero ex ventres) alium autorem præter Sotum adduxerit (in editione scilicet Lugdunensi, quæ præ manibus fuit Baronio. Licet postea in Matritensi, superaddiderit M. Cotrado 2. p. q. 62. M. Serra 3. p. q. 66. art. 12. & M.

Paris II.

Prado eadem quæstione, dub. 12. num. 65. dicentem esse ferè communem) Nullum ergo errorem, nec D. Thomæ, cuius non meminit, nec aliis authoribus, quos refert, Amadæus adjunxit. O Baroni! sic operam, & atramentum perdis? Sic ad calumnias paginas replest? Doleo.

§. III.

Quanam intentio ad valorem Sacramenti, ex mente D. Thomæ sit necessaria?

13. GRAVIS inter Doctores est difficultas, in enodanda mente D. Thomæ, circa intentionem in Ministro requisitam, ad conficiendum Sacramentum, Dubium suboritur ex duplici Angelici Præceptoris loco supra citato: Alio ex 4. sent. dist. 6. q. 1. art. 2. quæst. 1. ad 2. Alio ex 3. p. q. 64. art. 8. ad 2. In primo enim loco quorundam opinionem refert, nec refellit asserentium: Quod in baptismo, & aliis Sacramentis, quæ habent in forma actum externum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta; & idèò si forma servatur, nec aliquid interius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est. Quam solutionem secundo adhibitam, cuidam argumento oppugnantem necessitatem intentionis Ministri ad valorem Sacramenti, ostendimus supra, prodire non potuisse ex propria mente D. Thomæ. Recrudescit verò difficultas ex alio loco ex 3. p. q. 64. art. 8. ad 2. Ubi explosa aliorum sententia existimantium, deficienti intentione Ministri, validum nihilominus Sacramentum baptismi perfici, eò quod Deus supplet defectum quoad parvulos; & fides, devotione adjuncta, quoad adultos: concludit D. Thomas. Idèò alii melius dicunt, quod Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ; cujus est Minister. In verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimitur ex parte Ministri, recipientis Sacramentum. Ergo ex mente D. Thomæ licet defuit mentalis intentio in Ministro, validum tamen conficitur Sacramentum ratione intentionis Ecclesiæ, quæ verbis formæ exprimitur, dum contrariam Sacerdos externè non manifestet, quantumvis internè retineat. Quod videtur coincidere cum solutione secundo loco posita in præcitato loco ex 4. sententiarum.

14. Cæterum ut bene ait Cardinalis de Lugo tom. de Sacram. disp. 8. sect. 4. num. 64. cum Cajetano 3. p. q. 64. art. 8. ad 2. Incredibile est D. Thomam, in his locis, sensisse Sacramentum posse validè conferri absque intentione interna Ministri. Quod ex ipsomet Angelico Doctore omnium optime ostendit P. Suarez tom. 3. in 3. p. q. 64. art. 8. Quibus ego lubens assentior: primò quia statim art. 10. ejusdem quæst. 64. contrarium supponit dicens: Cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere, talis perversio tollit veritatem Sacramenti: præcipue quando suam intentionem exterius manifestat. Quibus apertè tradit derisionem internam, quæ nil aliud est, quam defectus intentionis, vel voluntas non conficiendi Sacramentum, ejus valorem tollere, id verò multò certius est, si præfata voluntas, seu defectus intentionis exterius manifestetur. * Ly enim præcipue (quod Divus Thomas subdidit) exprimit

Nu 2

casum

casum minus dubium, & alium magis dubium includit, ut optime cum alio tenet Barbof. *diff. 274*. Secundò probatur, quia in eodem art. 8. ad 3. explicans habitalem intentionem, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, subnectit: *Putat cum Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia. Unde si postea in ipso exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.* Per quæ explicandus venit, in his, quæ ad 2. dixerat. Tertiò probatur, quia ibi æqualem intentionem requirit ex parte Ministri conferentis ac ex parte adulti suscipientis, & æquæ utriusque defectum veritatem Sacramenti tollere affirmat, si exterius exprimitur. Et tamen si internè ex parte recipientis deficiat, licet nullo actu externo manifestetur, non perficitur Sacramentum, ut tradit q. 68. art. 7. ad 2. dicens: *Si in adulto desset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus.* Ergò licet in Ministro internè tantum deficiat intentio, non perficitur Sacramentum; & mens D. Thomæ alia non est, quam id certius esse, quando intentionis defectus externè exprimitur. Quartò probatur, quia q. 64. art. 8. citato in corp. expressè allerit requiri intentionem Ministri, quæ ablutio aquæ, de se indifferentis ad mundiciam corporalem, determinetur ad sacramentalem effectum. Et infra ad 1. et idè, inquit, requiritur ejus intentio, quæ se subsiciat principali agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus; & Ecclesia. Quid clarius!

15. Solutionem verò argumenti, quod sibi objicit D. Thomas, fateor difficilem: illius enim vis in eo posita. Si mentalis intentio Ministri necessaria sit ad valorem baptismi, cum ipsi tantum sit nota, nullus certus esse poterit, quod baptismum susceperit: ac proinde omnes erunt semper dubii, & anxii, anritè baptizati sint. Respondet Vincentius Baronius ubi sup. fol. 217. *Hujus argumenti vim D. Thomam infringere, intentione Ecclesiæ, verbis Ministri expressa, quæ tanta est efficacia, ut privatum Ministri errorem corrigat. * Sed quidem cum fide sanctum sit intentionem Ministri, saltem faciendi, quod facit Ecclesia necessariam esse ad valorem baptismi: si hanc ille non habeat, intentio Ecclesiæ defectum non supplebit: aliāvisi exterius exprimitur, nunquam valor Sacramenti deficere poterit ex defectu intentionis Ministri, quod hæreticum est. Intentio ergò Ecclesiæ in eo tantum eventu privatum Ministri errorem corrigere poterit, quando iste habuerit intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quam tamen ipse internè irridet, puramque ceremoniam ad illudendos homines inventam judicat. Ergò cum Minister carere possit intentione faciendi, quod facit Ecclesia (quoniam & contrariam internam habere, si illa necessaria sit ad valorem baptismi); & illius incerti sumus, dubietas & anxietas baptismi non vitantur. Recrudescit ergò argumenti difficultas, non evacuatur, solutione Baronii.

16. Aliter explicat D. Thomam Cajetanus 3. p. q. 64. art. 8. ad 2. dicens: * Ad certitudinem nostram de susceptis Sacramentis, intelligendum est, sufficere intentionem Ecclesiæ per verba Ministri expressam, nisi per Ministrum, aut suscipientem contrarium exprimitur. Itā quod non intendit Author, quod hæc sufficiant ad perfectionem Sacramenti simpliciter, sed ad perfectionem ejus secundum humanam certitudinem. Per hoc enim evitatur inconveniens, quod quilibet incertus possit esse de susceptis Sacramentis. Sic Cajetanus, quem alii

Thomistæ communiter sequuntur. Sed non modo citantur. Quia si deficiente Ministri intentione, ut concedit Cajetanus, intentio Ecclesiæ non sufficit ad certitudinem non habemus de intentione Ministri. Undè illam habere poterimus de valore baptismi. Quod si dixeris ad hujusmodi certitudinem sufficere, quod exterius defectus intentionis non exprimitur: non facile id persuadebis baptizato, velis Ministri, hæretici, Mauri, & ab aliis de his in casu necessitatis. Præterquam quod si Thomam asserit, quod si deficiente mentali intentione Ministri, perficitur nihilominus Sacramentum, intentione Ecclesiæ, quæ exprimitur verbis Ministri, dum contrarium exterius ab ipso, vel suscipiente non exprimitur. Eam ergò certitudinem de suscepto baptismi cui libere baptizato concedit D. Thomas, quæ ex intentione Ecclesiæ, de qua dubitare non licet, desumi potest. Hæc intentio rudo tanta est, quanta ex intentione internæ Ministri per revelationem nota pullulat. Ideoque angelicus Præceptor ad omne dubium, & incertum expellendam; solam intentionem Ecclesiæ, per verba Ministri exprimitur, dicit sufficere ad perfectionem Sacramenti. Alias enim Ministri intentionis certi semper dubii, & anxii essemus, an baptizati simus, nec ne?

17. Propterea, inquit Cardinalis de Lugo ad suprà, * non pauci censuerunt D. Thomam non sententiam inclinasse, quod sufficeret intentione faciendi exterius, quod facit Ecclesia: & mirari non esse, cum scripserit ante definitionem Concilii Tridentini, & Tridentini. * Ab hac tamen sententia ipse vindicat, & merito: & ejus verba loquuntur ex 3. p. q. 64. artic. 8. ad 2. & ex 4. sent. dist. 8. exponit dicens, D. Thomam in utroque loco solum agere de necessitate intentionis internæ exprimitur, & exprimitur, quæ si requireretur, videretur posse reddi dubium valorem Sacramenti, saltem apud illos, quæ igitur, an Minister talem specialem intentionem habuerit. * Ceterum neque hæc solutio mihi videtur primò, quia ad incertitudinem baptismi sit requiratur ad valorem Sacramenti intentio internam cum hac soli Ministro sit nota, neque ad eandem ad Sacramentum esse notam, quod Sacramentum susceperit, & ita non poterit habere certitudinem salutis. In quo fita est vis argumenti, quod objicit D. Thomas. Ergò solutio illi adhuc bita esse debet, ut excludat incertitudinem de valore baptismi, quin obstat incertitudo, quam accedit ad Sacramentum habere de interna intentione Ministri. Ad illam autem excludendam quidam reprobant ad summum Sacerdotem, scilicet Deum ab illo supplementum intentionis Ministri necessitatis ad valorem Sacramenti repetebant: quæ sententiam D. Thomas rejicit; & minorum approbat, qui intentionem Ecclesiæ in verbis, quæ Sacerdos profert, expressam, ajunt sufficere ad perfectionem Sacramenti, dum exterius defectus intentionis Ministri, vel suscipientis Sacramenti non exprimitur. Quorum solutio admittit, non dubitationi de valore Sacramenti locus relinquitur, & consequenter argumenti difficultas finitus exhaustur. Quæ secus integra perseverat, si intentione interna Ministri requiritur, cum non sit undè certitudinem de illa habere possimus. Secundo displicet responsio Card. de Lugo, quoniam tactam relinquit difficultatem subortam ex intentione Divi Thomæ ad 2. nempe intentionem

Ecclesiæ sufficere ad perfectionem Sacramenti, si nil contrarium à Ministro exprimitur. Quæ secum patitur defectum intentionis internæ in Ministro, imò & contrariam, ut ex terminis constare videtur.

18. Ideo, post rematurè excogitatum, duplici conclusione respondet: Prima sit, D. Thomæ solutionem nullatenus eo tendere, ut suadeat, deficiente intentione interna Ministri, Sacramentum perfici intentione Ecclesiæ, quæ illius verbis exprimitur. Ratio est evidens, quia conclusio contradictoria est expressè ipsius D. Thomæ in eodem articulo. & non semel aut bis, sed ter: nempe in corpore, & in solutione ad 1. ad 3. unde nisi temerè dici non potest, ibidem ad secundum sibi contradicere. D. co. secundò D. Thomam non curasse solutionem adhibere, quæ evidenter certum baptizatum relinquit, de Sacramento suscepto, sed quæ animo pœnitentis. Ad conscientiam autem quietem sufficit, non posse prudenter dubitare de intentione necessaria ex parte Ministri. Quod contingit, si nil aliud in contrarium exprimat, dum verba ab Ecclesiâ instituta profert: quia sic exprimit se habere, in illo actu ab intentionis, eam intentionem, quam habet Ecclesiâ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, quantumvis ipse ignoret sanctificationem, quæ sub illis lateret. Et sic explicanda veniunt verba illa D. Thomæ, quod Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, in cuius Ministri verbis exprimitur intentio Ecclesiæ sufficiens ad perfectionem Sacramenti. Hoc autem sufficere ad moralem certitudinem de valore Sacramenti suadetur exemplo pœnitentis cum attritione accedentis ad Sacramentum pœnitentiæ, qui licet evidentiam non habeat de Sacerdotio confessoris, cum ejus baptismus, & ordo Sacerdotalis non sint ipsi evidentiæ, eam tamen moralem certitudinem de his habet, ut prudenter dubitare nequeat. Et in hoc sensu accepta expositio Cajetani, & Thomistarum verum continet. Si verò de intentione Ministri dubitetur, quia infidelis Judæus, vel Mahometanus, iterandus erit sub conditione baptismus, ad incertitudinem, & anxietatem expellendas

§. IV.

Enormis Baronii impostura in Cardinalem de Lugo.

19. Cum sententiam ex Cajetano, Sylvestro, Margarita Confessor. & ex Campanella nu. 4. relatum, & rejectam, à gravissima nota eximere Baronius non auderet, & nullum ei effugium occurrisset, eam derivare tentavit in Eminentissimum Cardinalem de Lugo, fol. 216. dicens: Campanella opinionem Cardinalis de Lugo munitam fuisse suffragio, quæ ait, Parvulos si desit aqua ad baptismum, salvos fieri Sacramento legis naturalis, id est benedictione, aut precatione paternâ. Quod pro de Lugo, (inquit) respondebit Amadeus, ego responam pro Cajetano, & Sylvestro. * Sic Baronius. Ceterum ab hac, & aliis calumniis, quas Cardinali de Lugo affinxit Campanella, se ille purgavit, *tomo de fide, disp. 20. sect. 3. nu. 130. fol. 362.* his verbis: * Prudenter faciet censor, si nunquam nisi in scriptis censuram propositionis ibidem scriptæ proferat, imò & apud se exemplar propositionis, & censuræ retineat, quo convincere possit, sive propositio, vel cen-

BARS II.

sura postea alterata referatur. Inveni non semel responsa, vel censuras à me petitas, non eisdem verbis relatas, & editas; ita ut necesse fuerit mihi, pro meis non agnoscere. In quo (attende) aliquis querelæ scrupulus mihi remansit erga Patrem Thomam Campanellam, qui in suo opusculo de Prædestinatione, & Reprobatione, statim initio aliquos suos articulos refert, meo nomine subscripto, & à me simpliciter approbato, sine ulla restrictione, vel explicatione: quos tamen ego quantum meminisse potui, non ita absolute probavi, sed cum explicationibus, & limitationibus addendis, quæ ibi desiderantur. * En Cardin. de Lugo à suffragio, quo suas opiniones Campanella munire tentavit, se in tuto posuit. Secus verò contigit Doctoribus, & Magistris, quorum verba fideliter excerpta dedi. Utinam hæc Baronius pro Cajetano, & Sylvestro reponere potuisset.

QVÆSTIO IV.

An præcepto annuæ communionis satisfaciunt fideles, qui in Ecclesiis Regularium tempore Paschatis Eucharistiam suscipiunt?

1. Quod, excepto primo die Paschatis Resurrectionis, possint fideles, in cæteris diebus à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, præceptum communionis in Ecclesiis Regularium adimplere, tradit Navarrus *cap. 21. num. 52.* Ubi sic ait: * El Papa Leon X. concedió a qualquier Sacerdote de la Orden de Fray les Menores, que en qualquiera dia del año pueda administrar la Eucharistia à los seglares, excepto solo el Domingo de la Resurreccion, y por consiguiente à los Dominicos, y à todos los otros, que participan de sus privilegios, lo qual tambien sabemos estar particularmente concedido, y con mucha razon, à los Padres de la nueva, y por ello muy provechosa Compañia de Jesús. Y aunque por algunos respetos puede parecer à algunos, que esta excepcion del dia de la Resurreccion se entienga de toda Comunión, con que se cumple el precepto de comulgar la Pasqua. Parecemos empero, que se hade entender de la Comunión de solo el dia de la Pasqua, ora ella seto me para cumplir con el precepto, ora no. Porque el dicho Papa Leon parece averlo declarado assaz por las palabras que annadió à las de Nicolao V. que concedió antes este privilegio, y por otras razones. * Sic ille. Quem pro opinione solum primum diem Paschatis excludente ad præcepti adimplerionem exponunt nonnulli, & sequitur P. Sâ, *ver. Euchar. nu. 10.*

2. Quorum explicationem genuinam supponit Manuel Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 56. artic. 3. §. Ad hanc objectionem*, ex privilegio Leonis X. Martini V. & Sixti IV. id Regularibus concedentibus, præterquam in die Paschatis, vel in die Resurrectionis. Quod de solo primo die Resurrectionis intelligunt, quibus Navarrum explicans consentit M. Ludovicus Lopez *2. p. Instruct. cap. 6. de Bulla fol. mihi 803.* Ubi sic scribit: * Excepto die Paschatis, ex privilegio Leonis, Religiosi Mendicantes possunt communionem impendere laicis ad satisfaciendum præcepto communionis, ut

Nr 3

infi-